



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput VIII. De Fratre, qui quod concupivit, accipere promeruit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

vum extruxit Castrum, illudque amplis & profundis fossis munivit, quia autem nullum malum impunitum manet, inimici Militaris dicti nocte quadam supervenientes Castrum cum annexa villa injustè acquisitum per incendium in cineres redigerunt. Sicque factum fuit, ut qui antea de bonis minùs justè acquisitis lætabatur, jam Castrum suum cum villa flammis absumptum videns vehementer doluerit.

C A P U T VIII.

De Fratre, qui, quod concupivit, accipere promeruit.

IN Grangio Monasterij B. MEINULPHI, quod vulgari linguâ *Findelen* nuncupatur, nonnunquam devotus Frater nomine *Röggerus* prædicti Monasterij Conventualis ex ordinatione sui Venerabilis Prioris ad tempus habitavit, qui, quia à suo Conventu sæpius aberat, humano more tentatione devictus mutonis carnibus cum Fratribus suis in Refectorio Monasterij vesci cupivit. Quid contigit? sequenti die cum sol jam oriri cæperat, ac portarius prædicti grangij portam aperiret, mutonem foris ante januam reperit quiescentem; hunc gaudens tanquam miraculosè transmissum grangio introduxit, ac illo per coquum interfecto ac mactato, dictus Frater, qui de mutonis carnibus edere concupivit, non solum ad sufficientiam se refecit, sed & omnes supra dictum inhabitantes grangium eum gaudio cibavit.

C A P U T IX.

Ligna Regularium devastans factus est claudus circa devastationem.

ERat quidam inhabitator Castri *Wewelsburg* nomine *Petrus*, qui, quia DEUM minime timuit, Canonicorum Regularium Monasterij B. MEINULPHI sylvam introgressus in ea ligna quercina sub defensione domicellorum dicti Castri securi abscidit, ac ea ab emptoribus abduci fecit, quod damnosum factum dicti Regularium